



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Caput IV. De Igne.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

in Bœotia &c. quæ omnia, si vera sunt, ex admixtis particulis provenire necesse est, quæ nempe vel cerebri meatus obstruunt, vel aliter sensus internos afficiunt: uti enim aquæ distillatæ earum rerum vim & corpuscula imbibunt, ex quibus distillantur; ita etiam aquæ naturales eorum mineralium naturam contrahunt, per quæ transeunt, & quibus afficiuntur.

Et hinc oriuntur aquæ medicatæ, partim quasi artificiales per distillationem, partim omnino naturales per virtutem ipsis à terræ fodinis, mineralibus, fossilibus, metallis communicatam. Sic quædam sunt acidæ à vitriolo, acerbæ ab alumine, amaræ à nitro, acres à falsedine, pingues à sulphure, ferratæ à ferro &c. quædam strangulant, ut gypsatæ, quia meatus obstruunt; quædam exsiccant ulcera, ut aluminosa &c. Plura apud Chymicos & Medicos.

CAPUT IV.

De Igne.

Ignem qui negat, ignem meretur, aut igne interdici, inquit P. Fabri: à Peripateticis definitur: Elementum calidum in summo, & siccum in excellenti: ab aliis, corpus simplex, lucidum, & maximè actuosum, unde & summè causaliter calidum. Si tamen sit valde rarus & subtilis, lucet & non urit. Sic Bartholinus memorat, ignem lambentem è capillis Christiani V. Daniæ Principis excussum: flammam Servio Tullo in cunis jacenti è capite emicuisse, Author est Livius: Alexandrum Magnum inter pugnandum scintillas ex oculis evibrasse, referunt alii: lingua viperæ, si irriteretur, apparet ignea: è felibus, si fricentur tempore præsertim hyberno, excutuntur scintillæ lucentes; Pulmo marinus noctu lucet, & luminosa reddit corpora, quibus affricatur: aliæque similia perhibentur plura; imò plures sunt hodie, qui existimant, lucem aliud esse nihil, quàm ignem extenuatum: sed de luce alibi, ubi de Visu. Alius ignis est, qui urit & non lucet, ut evenit in salibus, fumo, aquis causticis &c. Alius simul lucet & ardet, & est communis, qui solus ferè ignis nomen sibi proprium fecit. De hoc elemento specialius, quàm de aliis, jam egimus Contempl. II. ubi vidimus, qua ratione lateat, generetur, & corrumpatur, tam juxta Antiquos, quàm Recentiores; reliqua paucis perstringemus.

Proprietates ejus sunt 1. Calefacere, vel producendo calorem formalem, uti volunt Antiquiores, vel duntaxat causando in sensibus & anima impressionem, quam calorem dicimus, ut opinantur Recentiores. Sed de calore jam alibi. 2. Comburare, vehementissimo suo motu partes lacerando. 3. Rarefacere, corporum poros subeundo, laxando, dilatando. 4. Liquefacere, metallorum partes dividendo & separando. 5. Calcinare, humorem viscosum dissipando. 6. Exsiccare, humorem aquosum secum evehendo, aliæq; plures, quas in humanis usibus quotidie experimur: nullum enim animal majorem usum ab igne capit, quàm homo: imò quò bruta magis propter feritatem ab humanitate recedunt, eò ignem oderunt acerbius. Hinc Lactantius lib. 2. Divin. Instit. c. 10. ait: *Nos enim, quoniam cæleste atque immortale animal sumus, igne utimur, qui nobis in argumentum immortalitatis datus est, quoniam ignis è cælo est.*

An verò ignis gravis sit, vel levis, non juvat hic pluribus examinare, cum ex dictis de aëre satis intelligi possit. Levem dicunt Peripatetici, quia sursum tendit; sed hæc ratio tam parum probat, ignem esse absolutè & ab intrinseco

levem, quàm lignum, quod etiam in aqua sursum ascendit. Proinde, si non aliam habeant rationem, levem dicam duntaxat respectu aëris crassi, præsertim si sit rarefactus; quod addo, quia si condensatus sit, Paulus Casati existimat, esse omnium sublunarium gravissimum. Quamvis autem hoc non dixerim, aliquam tamen inesse igni gravitatem, non obscura sunt argumenta: nam lateres condensato igne pleni, ferrum ignitum, aliæque metalla, teste Boilio, plus solito ponderis habent. Rursus Auctore de Lanis, flamma cerei in medio spiritus vini accensi non pyramidalis, sed globosa apparet, quod non ita ab aëre sustineatur à latere. Denique, ut alia omittam, dum evacuatur Recipiens, ipsa etiam flamma sensim uti & fumus ad fundum repit, donec extinguatur. Et ratio est, quia ignis, uti reliqua elementa, ordinatus est, ut unam molem globosam sublunarem constituat: ergo sicut illa, gravitate propria ad commune centrum ferri debet. Neque refert, quod Angelus Esdræ dixerit: *Vade, pondera mihi pondus ignis*: tam parum enim ex his verbis probatur, ignem non habere pondus, quàm ventum non flare, aut hesternam diem non præterisse, quia cælestis Genius addidit, *Mensura mihi flatum venti, aut revoca mihi diem, qua præterit*. Quid quod ipsa hæc Angeli verba argumento sunt, suo ignem pondere nequaquam destitui; quorsum enim Angelus præciperet inquiri pondus, quo ignis caret? quasi verò idem dixisset, ac numera mihi ranarum plumas, quas nunquam habuere. Neque per hoc negatur omnis levitas absoluta: potest enim dari in aliis, v. g. effluviis cælestium corporum, quæ sursum redeunt &c.

Hinc colliges, non dari decantatam illam ignis sphaeram in concavo Lunæ positam, quam primus finxit Ocellus Pythagoræ auditor, quem deinde Empedocles, Hypocrates, & universa ferè Peripatus secuta est. Ego autem nunquam inducar, ut asseram aliquid, cujus nullum habeo indicium; quid quod ipse Aristoteles iisdem minimè patrocinator; ait enim lib. 1. meteor. c. 4. ibidem dari aliquid, quod propter consuetudinem appellamus ignem, *non est autem ignis*. Rationem addit, quia exsicarentur omnia: atque etiam Astrorum influxus impediretur. Quale corpus igitur supra aërem nostrum astruemus? Materiam ætheream, jam superius probatam. Sed quorsum devenit ignis, qui tantus & toties per aërem nostrum ascendit? Resp. vel illum corrumpi ad mentem Peripateticorum, vel iterum descendere, sese insinuando intra aërem veluti materia subtilis, aut condensari, aliisque particulis gravioribus tumulari, uti patet in fulmine, pluviis calidis &c. Quod si existimes, non posse descendere, dic mihi, quò deveniat? Certè mare non caperet tot flumina, nisi aquam iterum per orbem dispertiret.

Ubi ergo centrum ignis collocabimus? in terræ medio, uti & reliquorum elementorum, quod propriè ignis sedes est; ut enim de igne infernali fileam, ignes subterraneos sufficienter indicant tot montes ignivomi per universum orbem dispersi, uti est Ætna in Sicilia, Strongilus & Vulcanus in insulis Liparitanis, Vesuvius in Campania, Apenninus in Hetruria, Hecla in Islandia, aliique metuendi in Misnia, & alibi. Tractus Puteolanus videtur fervere totus, cum & fumi densissimi inde erumpant continuè, & aquæ calidissimæ fluant perenniter, & cavernarum calor primo statim ingressu sudorem exprimat, & paulò interius fit omnino intolerabilis. Hoc iterum, ut nihil dicam de terræ motibus, testantur tot fontes calidi, ut superius vidimus; quibus unum addo ex Nicolao Zeneto prope polum in ipsa Grönlândia valde memorabilem, qui ita fervet, ut per tubos derivatus, Dominicanorum cellas calefaciat, coquat cibos, hortos riget, ita ut hoc Cœnobium sit in loco viridi, cum undique circumstant nives, nec
ibidem

ibidem aqua congeletur unquam; ideoque appellant volucres & pisces innu-
meri.

Elementa artificialia.

Elementa quatuor explicata, relatè ad gravitatem eorum respectivam, ex-
hibent aliqui in vitro oblongo, quod quidem variis modis fieri potest; unum
appono: sumatur petroleum, spiritus vini, oleum tartari, & vitrum in tenuis-
simum pulverem comminutum. Infimum ac velut terræ locum in tubo occu-
pat vitrum in pulverem contusum: pulverem vitri excipit oleum tartari, id est
sal tartari exsolutus, qui aquam exhibet: ipsi succedit spiritus vini, qui aërem
refert: summum ac velut ignis locum tenet petroleum, quod est bituminis ge-
nus è petra seu rupe defluens, rarissimum ac proinde levissimum, aliis liquori-
bus supernatans. Quantumvis igitur ea quatuor corpora inter se permiscean-
tur, ipsa tamen simul ac sibi relicta sunt, rursus separantur, & debitum sibi lo-
cum repetunt.

CONTEMPLATIO X.

De Mundo Mixto.

EX miscilibus veluti primis elementis fiunt mixta, quorum aliqua dicuntur
imperfecta, alia perfecta. Imperfecta sunt, quæ non habent formam
substantiali communem partibus mixtis superadditam, sed sunt veluti
coagulum ex pluribus diversis partibus compactum, uti lutum ex aqua & terra.
Perfecta autem sunt illa, ex quibus resultat nova species physica, per formam sub-
stantiali communem partibus mixtis superadditam, uti homo: vel cum sal-
tem ita commiscantur elementa, ut in mixtis non discernantur. Talia sunt me-
talla, lapides, & alia non viventia, de quibus hic agemus, de viventibus acturi
postea.

CAPUT I.

De Mixtis imperfectis.

Hæc mixta communiter vocari solent meteora, quod eorum pleraque in
sublimi loco appareant, ut nomen ipsum meteori indicat; unde quod
Græci meteora, Latini sublimia nominant. Definatur autem meteorum: mix-
tum imperfectum ex halitibus quibusdam attenuatis, vel ut Chymici loquuntur,
sublimatis constans, ac communiter in superiori aëris seu atmosphæræ regione
formatum. Unde halitus sunt meteororum materia, qui si participant de na-
tura aquæ, vocantur vapores; si de terræ, exhalationes nuncupantur. Com-
muniter autem in huiusmodi mixtis imperfectis unum ex elementis prædomina-
tur. Quare juxta 4. elementa, totidem assignantur meteora, terrea scilicet, a-
quea, aërea, & ignea; de quibus totidem paragraphis agendum.